ymmo dicto

modi executioni mandare non curavit, Ottoni excommunicato in
omnibus communicans, bona ecclesiarum, quarum prelati et
rectores sententie parebant, undique depravavit, suis ea consanguineibus
et familiaribus largiendo. propter quod idem Theodericus per Siffridum archi-
episcopum maguntinum cum misso sibi per papam legationis
offitio, una cum dicto Ottone imperatore excommunicatus publice nunciatur.
Fertur autem ipse Theodericus ante suam promocionem ad archiepiscopa-
tum colonciensem deo et beate marie virgini plurimum fuisse devotus, sed postea malorum consilio depravatus adeo quod modicam haberet
inter personas ecclesiasticas et laicos differentiam, rusticos et religiosos ac
monachos aeque pertractans, et ab hijs sicut ab illis thelonea atque peda-
gia, nec non indebitas exactiones per vim extorquens. Unde contigit quod
pro hiis et aliis sue tyrannidis excessibus accusatus, per Siffri-
dum archiepiscopum Maguntinensem supradictum auctori-
tate domini Pape, sicut Adalphus eius antecessor, de quo
in superioribus premissis agitur, dignitate et officio pontifi-
cali fuit privatus. ~~Quibus tamen~~ Quibus tamen depositis, utrique
eorundem ex redditibus episcopalibus 400 marce pro sustentatione
ipsorum fuerunt assignate, remissa apud ecclesiam libera
electione secundum canonum instituta. Porro dictus Theodericus Coloni-
ensis archiepiscopus ante sui depositionem construxit castrum
Wadesberg, in monte ubi prius fuit constructum, et consecrata
ecclesia in honore beati Michaelis archangeli, ubi nullus ante ipsum
munitionem ponere presumpserat. Quod quidem castrum ipse fertur edificasse
de sumptu usurarum cuiusdam Iudei per eundem captivati.

Engelbertus primus.

40. Quadragesimus nonus, deposito prout iam dictum est Theode-
rico I, electus fuit ad pontificalem cathedram Coloniensis
ecclesie, sedens sub Ottone IV et frederico II imperatoribus
annis 10, venerabilis pontifex Engelbertus primus, qui filius comitis de Monte, ex matre
filius a) comitis Gelrie habuit patruos nobiles antecessores
suos colonienses archiepiscopos, videlicet fredericum II et Bruno-
nem IV. Adalphus vero depositus similiter Coloniensis
archiepiscopus patrui ipsius filius fuit. Erat autem iste En-
gelbertus aspectu decorus, statura corporis procerus, robustus viri-
bus, et tante pulchritudinis, ut in clero et populo illi non
posset similis inveniri. Unde fredericus imperator II iam
in regno sublimatus, audita dicti Engelberti probitate et fama,
negocia regni citra alpes sibi commisit, et filii sui Henrici eum
tutorem constituens, tocius regni per universam Germaniam
ipsum deputavit administratorem. Ipse igitur Engelbertus

G. p. C

~~Dram ... (Differentiam?)~~

G. p. C

~~a) Kess X~~
a) dupp 2. 3.

G. p. C

a) c. d. M. e. m. f. desunt 2 (al. mss 3)

Caesar. Vita S. Eng.

G. p. C